



**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

3 Propter quam causam ferri poßit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

lati à generali lege, vel sententia imponente excommunicationis poenam: ergo illam incurrit, si transgressores legis existant.

*Obiectio
occurritur.*

Obiici vero potest cap. *Quia periculosum*, de Sent. excomm. in 6. ubi conceditur Episcopis, & superioribus Prælati, ne ligentur censura generatim lata, nisi illorum expressa mentio fiat. Respondetur ibi non esse sermonem de censura in genere, sed speciatim de suspensione, & interdicto, ut ibi Glossa notat verbo *Suspensio*: ac propterea docuit, privilegium illud non habere locum in censura excommunicationis: quam Glossa omnes communiter approbant. Sed instare potest aliquis, quia ratio illius textus æque, vel magis locum habet in excommunicatione, quam in aliis duabus censuris, scilicet *quia periculosum est Episcopis propter Pontificale munus incurvere ipso facto suspensionem*: non est enim munus periculosum incurere ipso facto excommunicationem, imo periculosius hoc dici potest: quia excommunicatio re ipsa includit omnes effectus suspensionis, & plures alios, graviore modo impediens functiones Pontificales. Quapropter quamvis in illo textu non fiat expressa mentio excommunicationis, intelligi possit à fortiori comprehensa sub suspensione: quia omnis excommunicatio suspensio quedam est saltem materialiter, ut sic dicā. Et posset hæc interpretatio iuvare, tum quia favorabilis est, & favores sunt ampliandi; tum etiam quia illud est beneficium Principis: quod amplissime interpretandum est, ut communiter dicunt Iuris interpretes argument. regulæ *Doct.* de regul. Iur. in 6.

Replica.

Sed licet hæc apparenter dicta sint, recedendum non est à communi sententia, quia verba illius textus satis clara, & præcisa sunt: ergo in proprietate accipienda iuxta consuetudinem Iuris; non est ergo ibi accipienda suspensio, ut includit excommunicationem, sed prout est censura distincta ab illa. Unde cum Pontifex specialem mentionem faciat suspensionis, & interdicti, non sine causa id fecisse credendum est, alioqui vel omnes censuras numerasset vel nullam in speciali, sed generatim censuram: cum ergo duas speciatim recensuit, tertiam excludere voluit. Item ius illud privilegium quoddam continet, quod non plus valet, quam sonat: & cum aliquo modo deroget Iuri communi stricte, & iuxta prædictam exigentiam verborum interpretandum est. Ratio ergo illius textus non sufficit ad extendendum privilegium, nisi accedat voluntas concedentis illud quæ hic non intercessit. Vel etiam ratio illa ita est accipienda ut propter vitandum, vel minuendum illud periculum statutum sit, ne Episcopi comprehendantur sub quacunque censura generatim lata; non vero, ut sub nulla includantur. Et ideo potest sufficere ad excipiendum Episcopos quoad duas censuras, etiam si non excipiantur quoad hanc tertiam. Cur autem in excommunicatione illud privilegium non concedatur, sufficiens ratio est, noluisse Pontificem tam amplum concedere privilegium, & aliqua ex parte in hoc consuluisse severitatem excommunicationis. Addit etiam Glossa, esse plures canones ferentes sententiam excommunicationis in generali, à quibus non fuit conveniens excipi Episcopos, ut cap. *Si quis suadente*, & similia.

SECTIO III.

Propter quam causam ferri possit, aut debeat excommunicatio.



Ateria huius sectionis amplissima est, eam vero fusè tractavimus disputat. 4. de Censuris in communi: & quæ ibi diximus maxima ex parte, & cum maiori proprietate, & certitudine in

hanc censuram conveniunt quam in alias. Itaque primum omnium pro certo statuendum est, excommunicationem maiorem ferri non debere, neque posse nisi ob culpam mortalem, cum inobedientia Ecclesiæ, & contumacia commissam. In hac enim regula fere omnes Doctores conveniunt: oportet tamen diligenter eam explicare, & nonnullas circa eam occurrentes difficultates in particulari declarare.

Duobus ergo modis de causa ferendi censuram loqui possumus. Primo secundum ius ordinarium ab Ecclesiâ statutum. Secundo iuxta absolutam potestatem à Christo Domino concessam, quæ in Summo Pontifice residet. Priori modo est fere indubitata regula posita: sunt enim multa decreta, in quibus hoc statuitur, quæ referuntur à Gratiano. 11. quæstion. 3. ex Concilio Niceno cap. 5. in cap. *Servetur*, & ex Concilio Meldensi in cap. *Nemo Episcoporum*, & ex Concilio Avenensi, vel potius Vormacienfi. & Aurelian. 5. in cap. *Nullus*, & ex Concilio Agathensi in cap. *Episcopi*. Rursus ex Hieronymo, Augustino, Prospero, & aliis multa referre 24. quæst. 3. capit. *Rependendo*, cap. *Corripiantur*, cap. *Ecclesiam* aliis, quæ ex Anacleto, & Pelagio ibi referuntur. Idemque sumitur ex cap. *Sacro*, de Sententia excommunicationis, & ex cap. *Romana*, eodem titulo in 6. & ex Leone Papa epistol. 87. & ex Ambrosio lib. 2. officior. cap. 37. Ac denique clarior Tridentinum id statuit in session. 25. cap. 5. de Reformatione, ubi expendenda sunt illa verba. *Aut levis ex rebus*, & illa, *Non alias quam ex re non vulgari, causaque diligenter per Episcopum examinata, &c.* Rationem à priori reddemus statim, ab inconuenienti vero est opinio, quæ ex dicto Concilio sumitur, quia si excommunicatio ob leuem culpam incurratur, magis contemnitur, quam formidatur, & perniciem potius parit, quam salutem.

Atque ex hac regula inferitur, nullum iudicem, vel prælatum Ecclesiæ infra Summum Pontificem posse pro culpa, quæ mortalis non sit, vel pro causa, in qua de evitanda mortali culpa non agatur, hanc censuram excommunicationis imponere, vel sub illa obligare. Probat, quia nullus ex his prælati vel iudicibus potest præceptum vel sententiam ferre nisi iuxta formam & modum per sacros canones institutum: habent enim iurisdictionem suam sacris canonibus ac legibus alligatam: sed sacri canones statunt ut hæc censura non feratur nisi pro gravi culpa: ergo non possunt eam ferre.

Addo ulterius propositam regulam procedere etiam de absoluta potestate data Ecclesiæ à Christo Domino, ita ut nec ipse Summus Pontifex possit pro sola veniali culpa præcisè, directe maiorem excommunicationem ferre. Quod primo colligitur ex omnibus Scripturæ locis, in quibus aliquod iudicium huius censuræ, vel potestatis ad illam ferendam continetur: semper enim significatur solum propter graves culpas corrigendas esse hanc potestatem concessam, ut Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*. Nemo enim dicit esse aliquem rebellem Ecclesiæ propter solam venialem transgressionem, eo vel maxime, quod ibi erat sermo de correctione fraterna, & ordine eius, qui ad coactionem per hanc censuram terminatur, si intercedat contumacia: illa autem correctio, ut Theologi docent 2. 2. quæst. 33. non habet locum proprie, & in rigore loquendo, in peccatis tantum venialibus: quod etiam, ut ponderavit Augustinus, ex verbis Christi colligitur, *Si peccaverit in te frater tuus, & infra, Si te audierit, lustratus eris fratrem tuum*; perierat ergo graviter peccando, ut Augustinus infert. Hinc Paulus 1. ad Corinth. 5. ubi eum quemdam excommunicaret, gravissimum crimen eius in medium proposuit, & quippiam simile indicavit Petrus Actor. 8. & Ioannes 1. Canonica

*Secundum
ius ordinari-
um Ecclesiæ
excommuni-
cationem de-
bet, nisi ob
culpam
mortalem.*

*Nemo iudi-
ces venialis
potest pro
minoribus
culpis excom-
municare.*

*Imo neque
Summus
Pontifex
Sua potestate
Scripturæ
statuimus.*

*Aug. in li-
br. 7. de Civ. Dei.*

*1. Cor. 5.
Act. 8.
c. 1. Sec.*

Sec. III. Propter quam caus. ferri possit, aut debeat, &c. 293

Idem refertur in Pontificum & Sanctorum, quæ citauimus in superiori puncto: cum enim docent excommunicationem non esse ferendam nisi pro graui crimine, non fundantur in aliquo iure seu prohibitione Ecclesiastica, sed in ipsa æquitate naturali, supposita institutione, & acerbitate talis pœnæ: & quia Christus non dedit hanc potestatem Ecclesiæ in destructionem, sed in ædificationem. Quæ rationes absolute procedunt de ipsa potestate secundum se, & respectu cuiuscunque habentis illam.

Vnde concluditur tertio optima ratio naturalis: quia pœna debet esse proportionata culpæ: excommunicatio autem maior, est grauissima omnium, quæ sunt in Ecclesiâ, vt Augustinus dixit libr. de Correction. & grat. capite decimo quinto in capit. Corripiantur, 24. quæstione tertia: non est ergo proportionata culpæ venialis, sed infinitæ (vt ita dicam) excedens: ergo ex ipso iure diuino, & naturali non potest secundum iustitiæ æquitatem talis pœna pro tali culpa ferri: ergo, absolute loquendo, non dedit Christus Ecclesiæ hanc potestatem. Et explicatur ratio in hunc modum, nam per excommunicationem eicitur quis quodammodo ab Ecclesiâ, vt sumitur ex multis iuribus vnde decimo, quæstione tertia, præsertim cap. Omnis Christianus, & cap. Nihil, cum aliis quæ supra citauimus: nemo autem meretur eici ab Ecclesiâ, qui non est dignus eici à regno Dei quod non est, nisi propter peccatum mortale. Et confirmatur à simili: nam quod est in Republica temporali pœna mortis, id est in Ecclesiastica Republica pœna excommunicationis: ideoque vocari solet *gladius Ecclesiasticus*, in capit. Inter hæc. 33. quæstione 2. & multi Patres dicunt hanc pœnam habere in Ecclesiâ eum locum, quem in veteri lege habebat pœna mortis, vt videre licet apud Antherum Papam epistol. vnica. & Tertullianum, in Apolog. cap. 39. & Augustinum in quæstionib. Deuteronomij quæstione secunda. Qui propterea in collatione tertiæ diei cum Donatistis, eam vocat *damnationem quam facit Episcopus iudicium*. Sed reipublicæ temporali non est data potestas ad interficiendum hominem propter peccatum veniale, vt per se notum est: ergo neque Ecclesiæ ad ligandum hominem hac censura ob solam venialem culpam. Denique non oportet, vt tam grauius Ecclesiâ coerceat fideles à venialibus peccatis: nam, vt D. Thomas tradit prima secundæ, quæstione nonagesima sexta, articulo tertio lex humana non incendit omnia vitia prohibere, aut punire, nec perfectos subditos facere: vnde etiam in institutione sacramenti pœnitentiæ Christus noluit venialia peccata esse materiam necessarii illius iudicii: & quamuis Ecclesiâ iuste prohibeat, & puniat aliqua venialia peccata, præsertim quando necessarium est ad obseruationem aliorum grauiorum præceptorum: semper tamen applicat pœnam seu medicinam accomodatam, excommunicatio autem maior, esset nimia coactio.

Ex quo generali principio sequitur primo, excommunicationem latam pro leuiori culpa, quæ mortalem grauitatem non attingat, esse non solum iniustam, sed etiam ipso iure nullam, à quocunque feratur. Probat ex dictis, quia fertur absque legitima potestate: actus autem moralis, qui procedit ab eo qui potestatem non habet, nullus est. Idem probari potest ex omnibus quæ de censura iniusta, & nulla tractauimus agentes de censuris in communi disp. 4. vbi ostendimus eam censuram, quæ euidenter est contra iustitiam commutatiuam respectu ipsius rei, esse nullam. sed excommunicatio maior lata propter solam venialem culpam est euidentissime contra iustitiam commutatiuam respectu eius qui sic damnatur: ergo est ipso iure nulla. Præterea talis sententia, continet intolerabilem erro-

Fr. Suarez tom. 5.

rem, non solum contra ius Ecclesiasticum, sed contra naturale & diuinum: sicut esset intolerabilis error medici qui præciperet brachium abscindi à corpore propter leuem lationem, seu ægritudinem. Item sententia iudicis secularis condemnantis ad mortem aliquem propter venialem culpam, intolerabilis esset, ac proinde nulla ipso iure. Ac denique condemnatio ad grauiorem pœnam propter leuem causam, est etiam nulla. Patet consequentia, tum quia in moralibus parum pro nihilo reputatur, & ideo praua causa respectu tantæ pœnæ quasi nulla est, tum etiam quia tanta proportionem excedit grauissima pœna leuem culpam, quanta grauis nullam; maxime quando pœna illa est indiuisibilis, quæ non potest secundum partem proportionatam applicari, & executioni mandari, & secundum aliam partem rescindi, cuiusmodi est excommunicationis maioris censura. Sunt vero, qui hoc tantum procedere putent, quando talis causa leuis in ipsa sententia explicatur. Sed quicquid sit de exteriori foro, in interiori sufficit, quod in re ipsa causâ non subsistat, iuxta dicta de censuris in communi.

Qui excusatur à culpa mortali, ab excommunicatione excusatur.

Secundo infertur ex dictis, quotiescunque aliquis excusatur à culpa mortali in transgressione alicuius legis, vel præcepti, excusari etiam ne censuram excommunicationis contrahat, etiam si omnibus transgressoribus illius præcepti imposita sit, vt si excommunicentur omnes qui furantur aliquid, si quis id committat, tamen ex leuitate materiæ excusatur à mortali, excusabitur etiam ne talem censuram contrahat. Et eadem ratione, cui sub excommunicatione præcipitur, vt soluat, vel restituat, si id omitteret, quia reuera non habet vnde soluat, sicut excusatur à culpa, ita etiam à censura. Ratio est, quia cessante causa necessaria etiam quoad rei effectum, cessat, seu non fit effectus. Item quia quod culpa caret, in damnum vocari non debet, vt dicitur in cap. 2. de constitutionibus: ergo & quod caret graui culpa, non debet in grauissimum damnum excommunicationis vocari. Atque ob eandem causam quoties sententia huius censuræ fertur absque vera mortali culpa, quæ in persona supponatur, apud Deum, & in cōscientiæ foro per se obligationem non inducit, licet in foro exteriori, vel interdum ex accidente propter vitandum scandalum obligare possit. Vbi sese offerebat copiosa materia disputandi de causis quæ excusare possunt, ne talis censura incuratur, quales sunt ignorantia, violētia aut metus, qui moraliter equiueat, aut alia grauis necessitas. Itē occurrebat hic dicendum de excommunicatione iniusta ex defectu causæ finalis, & materiæ circa quam, an semper sit nulla, sed quia hæc omnia copiose tractata sunt de censura in communi, & in præfati nihil in eis speciale occurrit, ideo in eis iterum immorari non est necesse.

Obiici vero potest contra hanc illationem Primo, cap. Odoardus, de solutionibus vbi excommunicatio lata in eum, qui creditori non soluebat, valida censetur, & indigens absolutione, etiam si ille fuisset impotens ad soluendum; cum ergo impotentia excuset à culpa, & non excusauerit ab excommunicatione non est in vniuersum vera regula tradita. Cōsequentia est clara: & antecedens patet ex illis verbis textus, *Mandamus quatenus si constiterit quod prædictus non possit soluere debita supra dicta, sententiam ipsam sine difficultate qualibet relaxes*. Secundo cap. Peruenit, de Sent. excommuni. Vbi percussio clerici, quæ parua fuit, & ideo ob paruitatem materiæ excusari videtur

Bb 3

Prima obiectio contra conclusionem positam.

detur à mortali censetur sufficiens causa ad incurrendam excommunicationem maiorem ipso iure latam pro tali crimine. Tertio, cap. *Episcopi*, 11. quæst. 3. ubi reprehenduntur, & puniuntur quidam Episcopi, qui innocentes, vel minimis causis culpabiles excommunicare præsumunt: & tamen huiusmodi excommunicatio non censetur nulla, ut patet ex illis verbis, *Nec forte excommunicati longo tempore morte præueniantur*.

Obiectio sol-
uitur.

Ad primam obiectionem respondetur primo, verbum illud *relaxes*, non semper significare dissolutionem vinculi validi, sed interdum declarationem inualidam, vel sæpe significare relaxationem facti potius quam iuris, seu vinculi quod secundum ius tenuerit. Cuius rei multa exempla in superioribus vidimus, & optimum est in cap. *Audiuimus*, 2. 4. quæst. 1. in illis verbis. *Te tuosque absoluendo*, & tamen erat sermo de excommunicatione lata excommunicato, quæ sine vlla controuersia ipso iure nulla existit, ibi Glossa ita exponit, & alia iura similia refert. Nec est dissimile cap. *Ad probandum*, de Re iudicata, ibi, *Eandem sententiam consisteris infirmam*, & tamen erat lata ab excommunicato. Si ergo in dicto cap. *Odoardus*, sententia illa relaxanda dicitur, vel quia declaranda erat inefficax, adligandum, vel cetero relaxanda quoad effectum quem de facto potius quam de iure habebat, quia ille Odoardus euitabatur, & alios vitare compellebatur. Vnde addi potest, fieri potuisse ut sententia illa in exteriori foro fuerit iusta: nam, ut ibidem dicitur, ille Odoardus recognouit debita, negavit tamen se esse soluendo propter rerum inopiam: non tamen ibi dicitur sufficienter in iudicio probasse hanc rerum inopiam: sola autem negatio non sufficit, quominus qui creditor est, præsumatur esse soluendo, ut dixit Glossa in leg. *Si vero §. Qui*, verb. *dubitatur*. ff. *Qui seru dare cogantur*, & ideo dixit Pontifex, *Quatenus si consisteris*: nondum ergo constabat: quare fortasse sententia fuit iusta in foro exteriori, & consequenter in eodẽ relaxanda.

Secunda di-
scutitur.

Ad secundam respondetur, in illo cap. *Pervenit*, Pontificem non desinite asserere eos indigere absolutione qui non enormem, sed modicam, & leuam injuriam clericis irrogant. Sed verba textus sunt, *De his absoluentis sua fraternitatis arbitrio duximus committendum*. Quod potest intelligi, tum ut iudices, an absolutione indigeant, tum etiam ut absoluant, si crimen ad excommunicationem contrahendam fuerit sufficiens, non tamen adeo enorme, ut eius censura reservatione digna videatur. Itaque modica, & levis iniuria, dici potest vel simpliciter & absolute, quia tanta non est, ut ad grauem culpam sufficiat, consideratis omnibus circumstantiis, quæ in tali iniuria concurrunt: & tunc non est necessaria absolutio: quia illa non est sufficiens materia excommunicationis maioris. Alio modo dicitur iniuria mediocris respectiue, scilicet, comparatione enormis, & levis comparatione mediocris, ita tamen ut omnes illi tres gradus contineantur intra sufficientem materiam peccati mortalis, & excommunicationis. Recte enim levis iniuria, comparatiue sic dicta, potest esse simpliciter grauis, ita ut ad mortale peccatum sufficiat. Præsertim, quia interdum potest iniuria levis videri quantum ad nocumentum corporale quod infert, & ratione modi, & circumstantiarum esse grauis & mortalis culpa, ideoque ad incurrendam excommunicationem sufficiens, & hæc posterior expositio videtur illi textui magis accommodata.

Tertia obie-
ctioni sic sa-
tis.

Circa tertiam obiectionem aduertendum est textum illum diuerso modo legi in originali, quam referatur à Gratiano: nam Gratianus affirmatiue legit. *Communio illis vsque ad tempus Synodi à reliquis Episcopis denegetur*: ita ut relatiuum illis, Episcopos male excommunicantes eos, qui innocentes fuerant

aut leuiter peccauerant, referat. In concilio autem Agathensi cap. 3. 2. tom. Conciliorum negatiue legitur, *Illis communio non denegetur*, iuxta quam lectionem relatiuum illis, refert ipsos iniuste excommunicatos. Et sane, ratio quæ subiungitur, *Nec forte sic excommunicati morte præueniantur*, &c. videtur magis huic lectioni fauere. Quid enim refert ad cauendum hoc periculum quod excommunicatores ipsi communionem priuentur. Quod autem ipsi excommunicati saltem à vicinis Episcopis ad communionem admitterentur, multum eis prodesse poterat. Iuxta hanc ergo posteriorem lectionem potius colligitur Concilium reputasse nullam talem excommunicationem, quando quidem absque præuia absolutione sic excommunicatos non vitandos censuit. Dixit autem A vicinis Episcopis, quia licet in propria etiam diocesi iure vitandi non essent, tamen ipsi Episcopi excommunicantes de facto illos vitabant, & vitari compellebant: cui malo ipsi vicini Episcopi subuenire non poterant, quia superiores non erant Episcopis excommunicantibus, & ideo dicit, *vsque ad ipsius Synodi*: quæ potest cogere Episcopum ad iustitiam seruandam. Quod si priorem retineamus lectionem, ad eundem sensum est accommodanda. Voluit enim illud Concilium, illis Episcopis male excommunicantibus ab aliis vicinis communionem negari etiam ante tempus Synodi, id est ipso facto, & ante aliam sententiam (ut sic exponamus) ut eo modo cogerentur ad communionem admittere, quos sic excommunicauerant, ne tanto tempore in eo essent periculo, in quo constituebantur non iure, scilicet quia excommunicatio esset valida: sed facto, quia à suo Episcopo communionem priuabantur.

Transgrediens legem iustam ferentem excommunicationem peccat mortaliter.

Tertio principaliter ex dictis infero, quoties per aliquam legem prohibetur aliquis sub pena excommunicationis ipso facto incurrendæ, si lex sit iusta, & valida quoad talem penam, transgressionem eius peccatum esse mortale. Hanc regulam tradidit Caietanus specialiter in Summa verb. *Præceptum*. Estque communis omnium: sequiturque euidenter ex dictis. Quia si illa pena iusta est, supponit proportionatam causam, vel culpam: sed culpa illi proportionata est mortalis tantum, ut ostensum est: ergo. Deinde tale præceptum cum penam grauissimam imponat, necesse est ut sit graue, & (ut aiunt) præceptum simpliciter, & de re multum necessaria: sed tale præceptum, etiam si humanum & Ecclesiasticum sit, obligat sub mortali, ut constat ex materia de legibus: ergo.

Contra hoc vero illatum multa obijci possunt: quæ contra principalem regulam consequenter procedunt. Primum est, quia antiqui canones Ecclesiastici eandem excommunicationem ferebant contra eos qui communicabant cum excommunicatis, etiam in humanis, ut patet ex cap. *Sicut Apostoli*, 11. quæstione 3. ubi refertur, hanc fuisse traditionem Apostolicam. Idem habetur in Concilio Carthag. 4. cap. 73. cap. *Qui communicauerit*, 11. quæst. 3. & clarius in cap. 2. de Cleric. excommunic. ministr. ibi, *Quicumque communicauerit, similiter se sciat excommunicatum*. ubi aduerbium, *similiter*, indicat eandem speciem excommunicationis. Secundo in Concilio Carthag. 4. ca. 24. sic dicitur, *Sacerdote verbum faciente in Ecclesia, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur*, & habetur de consecr. d. 1. cap. *Sacerdote*, illa autem actio valde levis est, & aut nulla est culpa, aut solum venialis. Tertio in cap. 2. de Vit. & honest. clericor. clerici arma portantes excommunicantur. Et (quod durius est) in cap. 4. dicitur, *Si quis ex clericis comam relaxa-*

relaxauerit, anathema sit. At vero hæc non videtur culpa grauis.

Ad primum respondetur in primis, multa ex illis iuribus non recte citari. Aduertendum est enim in illatione facta sermonem esse de lege excommunicationem ferente ipso iure, nam de illa quæ ferendam imponit, paulo post videbimus. Fabianus ergo in dicto cap. Sicut Apostoli, solum dicit. *Communione priuentur*, & in canonibus Apostolorum idem dicitur, vel eiusdem verbis, vel per verbum, *segregatur* aut simile: quæ omnia verba non censuram latam, sed ferendam indicant. Similiter in canone Concilij Carthaginensis dicitur, *Excommunicatur*, quod recte intelligitur faciendum ab homine: at vero ab homine interdum prohiberi potest communicatio cum excommunicato sub censura maioris excommunicationis, vt supra dictum est. Deinde aduerto, olim nomen excommunicationis non tam prescise & strictè usurpatum fuisse, sicut nunc est in vsu: nunc enim simpliciter dictum, pro excommunicatione maiori sumitur iuxta declarationem iuris supra tractatam: olim vero latius sumebatur non solum pro excommunicatione minori, sed etiam pro separatione, seu exclusione à participatione Eucharistiæ: quæ per antonomasiam communio dicitur. Et ita possent exponi canones Apostolorum, & Fabiani: sed obstant verba Calixti in epist. 2. quæ habentur in cap. *Excommunicatos*. 11. q. 3. *Quia quicumque in his, vel aliis prohibitis cum eis scienter communicauerit, iuxta Apostolorum institutionem, & ipse simili excommunicationis subiacet*. Quibus verbis similia sunt alia, quæ citauimus ex cap. 2. de Cleric. excommuni. ministr. Ad quæ dici potest, similitudinem non semper dicere æqualitatem: est autem inter minorem & maiorem excommunicationem aliqua similitudo, etiam si non sit æqualitas. Et ita exposuit Gloss. in dicto cap. 2. Et quantum ad censuram, quæ ipso iure incurritur ob talem communicationem, necessario est admittere datam expositionem, quia in aliis iuribus ita explicata est, vt supra est actum, & infra agentes de excommunicatione minori videbimus. Quantum vero ad censuram, quæ ob eam causam inferri potest, certum est, aliquando esse posse maiorem excommunicationem: tunc autem non sit sine transgressione mortali, quæ sæpissimè potest ob illam communicationem etiam humanam, & vulgarem committi, vt supra vifum est.

Ad alia argumenta dicunt aliqui, quamuis peccatum veniale per se ac regulariter non sufficiat ad censuram, ex accidente tamen, & propter aliud interdum posse sufficere, scilicet, vel quia disponit proximè ad mortale, vt abusus iurandi frequenter, vel quia alios scandalizat. Nam in priori casu agitur de vitio graui damno & periculo eius qui sic peccat, & ideo fraternè moueri, & corripi potest, ac debet: Et consequenter si Ecclesiam non audierit, poterit excommunicari. In altero vero agitur de vitio graui damno proximi innocentis, qui scandalū patitur. Et ideo ad hoc etiam potest alius per censuram grauem compelli. Alia ergo decreta in illis objectionibus citata iuxta hanc doctrinā intelligi debent: nam præcipue videntur illam censuram tulisse ob scandalum vitandum.

Verumtamen circa hanc doctrinam obseruandum est, vt vera sit, non esse ita intelligendam, vt limitationem aliquam proposita regulæ contineat, ac si peccatum veniale manens intra latitudinem venialis peccati possit interdum esse materia sufficiens excommunicationis maioris: hoc enim verum non est: nam rationes, quibus regulam confirmauimus, probant non tantum regulariter, sed etiam semper, & in omni casu peccatum veniale esse insufficientem materiam huius censure. Quando ergo dicitur veniale peccatum esse dispositio proxima ad mortale, interrogandum est an sit dispositio

ita proxima, vt constituat hominem in mortali ac proximo periculo peccandi mortaliter: & etiam tunc illud veniale peccatum ex tali circumstantia sit mortale, nam in mortalibus eiusdem malitiæ est constituere se voluntariè in mortali periculo & proximo committendi aliquod crimen, & committere illud. Vel illa dispositio non est ita proxima, vt afferat dictum mortale periculum: & tunc illud veniale adhuc manet intra naturam & limites venialis peccati. Et ideo per se non est sufficiens materia excommunicationis maioris. Est tamen vltius aduertendum, quod licet illa circumstantia tunc per se, & ex natura rei non sufficiat ad constituendum peccatum mortale, nihilominus potest aliquando sufficere vt prælatum possit grauius prohibere illum actum, vt remoueat subditum non tantum à dispositione proximè proxima (vt sic dicam) peccandi mortaliter, sed etiam à dispositione vt tuncque proxima, seu quæ parum distat ab occasione mortali proxima. Et tunc actus qui per se non esset peccatum mortale, adiuncto præcepto superioris sufficienter declarantis se velle obligare quantum potest, erit peccatum mortale. Quia superior interdum potest præcipere, vel prohibere sub mortali actum de se indifferenter: ergo etiam poterit prohibere sub mortali actum de se venialem, si aliqui grauis causa occurrat: nam per ordinem ad illam talis actus efficietur materia grauis: & ita contingit in exemplo posito. Quod præsertim accidere potest in statu religionis, in quo & ipsi subditi maiori quadam ratione tenentur venialia peccata, & occasiones mortalium præsertim vt tuncque proximas cauere, & ipsi superiores maiorem potestatem habent prohibendi ea, quæ graue impedimentum esse possunt perfectionis, nedum ea quæ propinqua disponunt ad vitam spirituales amittere. In hoc ergo casu prohiberi potest peccatum veniale sub censura excommunicationis, in sensu (vt ita dicam) diuiso, non composito: prohibetur enim id quod ex se erat veniale, non manet autem veniale supposita tali circumstantia, & prohibitione: censura autem non cadit in illum actum nisi vt sic prohibitu: & ita formaliter non cadit nisi in peccatum mortale.

Atque hæc eadem doctrina applicanda est ad alium casum de scandalo, quia peccatum de se veniale potest interdum fieri mortale ratione scandalij: nam & actus de se bonus potest fieri peccatum mortale ratione scandalij: & tunc posset sub censura prohiberi, non quia bonus, vel quia peccatum veniale, sed quia sic scandalosus. Aliquando vero potest scandalum proveniens ex peccato veniali non esse adeo graue vt per se, & ex sola re natura reddat actum peccaminosum mortaliter: sit tamen sufficiens ratio, vt possit à superiori prohiberi rigorofo præcepto obligante ad mortale, & tunc etiam poterit adiungere excommunicationis censuram, quæ formaliter non cadit in veniale peccatum, sed in mortale.

Quamquam autem hæc doctrina vera sit, videndum superest an per illam possit omnibus objectionibus, & iuribus in illis citatis satis fieri. Nam canon Concilij Carthaginensis simpliciter dicit, *Sacerdotes in Ecclesia verba faciente, qui egressus fuerit, excommunicatur*: & non meminit scandalij, aut alterius similis circumstantiæ. Verisimile tamen est, illum actum eo tempore scandalum aut perturbationem grauem aliis fidelibus asserre solitum, & ideo tam grauius fuisse punitum. Quamquam non displicet quod antea considerabam, ibi non dici: excommunicatus sit, sed excommunicetur: quasi relinquendo arbitrio Episcopi, vt tunc id exequatur, quando viderit actum esse ad eam poenam sufficientem. Item quia illud verbum, *excommunicetur*, indifferens est ad excommunicationem maiorem, vel minorem, & ad priuationem communionis in Eucharistia, vel Missa.

17
Peccatum ex se veniale potest ratione scandalij fieri mortale.

18
Add.

sa sacrificio, praesertim iuxta usum illorum temporum, ut dicebam.

19
Ad 3.

In tertia vero obiectione caput 2. de Vit. & honest. cleric. difficultatem non habet, tum quia ibi solum dicitur, *Excommunicatur*: tum etiam quia est sermo de clericis usurariis, & portantibus arma: utraque autem est materia gravis. Depriori enim per se patet: posterior autem licet ex se non sit ita intrinsece mala, tamen multum pertinet ad decentiam status clericali. Quod adeo verum est, ut clericus portans arma sine necessitate, sit tertio admonitus non resipiscat, priuatur privilegio canonis, *si quis suadente*, ut ibi notat Glossa ex cap. In audientia, & cap. *Contingit*, 2. de Sent. excomm. Quartum autem caput eiusdem tituli plusculum habet difficultatis. Unde quidam restringere volunt caput illud ad excommunicationem minorem. Sed repugnat proprietati vocis, *Anathema*, quae semper pro maiori excommunicatione & solenni sumitur. Alij restringunt, ut alia non sit censura ipso iure imposita, sed imponenda. Sed repugnare videtur modus ille loquendi, *Anathema sit*, illo enim significari solet censura ipsa lege imposita: quia imperium illud legis efficax est. Nihilominus Glossa ibi ita interpretatur, *si, id est fiat. non enim est* (inquit) *excommunicatus ipso iure*: probatque ex multis similibus, quae habentur in decreto d. 30. Quae expositio probanda videtur: quia est materia talis praeccepti consentanea & verbum illud imperandi, ut supra notavi tractando de censuris in communi, ambiguum est: & in minori sensu est interpretandum, si circumstantiae aliud non requirant. Et simili modo exponunt alij cap. *Si quis*, 23. d. quod idem est cum dicto cap. 4. ubi Turrecremata, *Anathema*, (inquit) *non ipso iure: sed si admonitus cessare noluerit, venit bene excommunicandus*. Et ita facile constat, talis excommunicationis materiam esse peccatum mortale: nam relaxare comam, maxime quoad clericalem tonsuram, & cum tanta pertinacia gravis transgressio est; & genus quoddam apostasiae a clericatu, ut Turrecremata supra notat, & Panormitanus in dicto c. 4. ait, illud esse peccatum mortale, quandoquidem dignum est anathemate. Et in dicto c. *Contingit*, 2. de Sent. excomm. inter alia propter quae priuatur clericus privilegio canonis, *Si quis suadente*, unum est, *si modo tonsura clerico quidquam non offendi*, & tertio de hoc admonitus non emendatur, est ergo illa culpa gravis, & ut si tantum est materia anathematis.

Turrecr.

Abbas.

Solum ob peccatum mortale potest fieri lex praecipiens excommunicationem ab homine ferendam.

20

Quarto principaliter inferri potest ex regula, pposita, quoties lex vel praecceptum iustum sub poena excommunicationis maioris, etiam si non ipso facto incurrenda, sed a iudice inferenda, aliquid prohibet, transgressionem talis praeccepti ex suo genere peccatum mortale esse, & solum ea ratione esse posse sufficientem materiam ad executionem illius poenae. Hanc illationem docuit Syluester verb. *Praecceptum*, q. 3. & Caietanus 2. 2. quaest. 186. art. 9. circa ad 2. Probatur autem ex dictis, quia excommunicatio non potest ferri, neque a iure neque ab homine, nisi propter peccatum mortale: quando autem lex prohibita aliquid sub poena excommunicationis inferenda, licet ipsa lex non excommunicet, virtute tamen praecipit iudici, ut pro tali transgressionem excommunicet: si ergo iustum est praecceptum, supponitur ibi sufficiens materia ad excommunicandum, alioqui talis lex praeciperet iudici rem iniquam: ergo illa transgressio est peccatum mortale. Et confirmatur, nam quando lex civilis aliquid prohibet sub poena mortis, illa poena non inferitur a

Syluest.
Caser.

A lege, sed inferenda est a iudice, & nihilominus ex gravitate poenae recte colligitur transgressionem illam esse peccatum mortale: quia alias nec iudex posset iuste exequi poenam illam, nec lex posset illam inferendam praecipere: ergo idem est proportionatiter in praesenti: quia ut diximus, excommunicatio maior in spiritualibus aequiparatur corporali morti in temporalibus.

Nihilominus Caietanus in summa verb. *Praecceptum*, & verb. *Clericorum peccata*, oppositam sententiam tenet, & priorem retractare videtur, propter quaedam exempla canonum, quorum praecipua in superiori puncto tractata sunt. In quibus nos aduertimus sermonem esse de excommunicatione ferenda. Ratione item potest hoc suaderi, quia longe minus est excommunicationem excommunicari, quam ferre: ergo licet excommunicatio ferri non possit nisi propter mortale peccatum, comminatio tamen eius ferri poterit. Declaratur praeterea in hunc modum. Quia, quando lex praecipit aliquid sub poena excommunicationis ferenda prius quam excommunicatio feratur noua iudicis monitione procedere debet. Quare licet transgressio ipsius legis non sit peccatum mortale; & ideo non sufficiat ad excommunicationem, nisi praemissa noua monitione, nouaque contumacia intercedente, nihilominus adiuncta noua iudicis monitione sub comminatione eiusdem censura, iam tunc mortale peccatum est illam legem, & obedientiam transgredi, & tunc iam est sufficiens materia, ut quis possit per iudicem excommunicari. Unde concludunt, quamvis peccatum mortale tantum sit materia excommunicationis, quae actu inferitur, nihilominus legem quae aliquid prohibet sub excommunicatione ferenda, non semper per se obligare ad mortale: quia non semper sola transgressio illius legis, ut sic sufficit constituere hominem dignum excommunicatione nisi aliunde crescat culpa, & contumacia: Erit ergo iuxta hanc sententiam materia talis praeccepti aut sufficiens ad peccatum mortale, si ex se gravis sit: aut, si sit levis, erit ex se quidem insufficientis, ut ex vi solius legis transgressio sit mortalis: adiuncta tamen iudicis monitione, iam transgressio erit peccatum mortale: quia qui resistit monitioni iudicis factae sub comminatione excommunicationis maioris, etiam in materia leui efficitur dignus, in quem feratur excommunicatio maior, & consequenter peccat mortaliter. Quae tota doctrina plane colligitur ex Caietano citatis locis.

Statim vero occurrit difficultas circa illam, nam interrogo an materia illius legis, quae prohibet actu aliquem sub poena excommunicationis ferenda, sit ex se sufficiens ad peccatum mortale, si ab habente potestatem per propriam & perfectam legem prohibeatur; necne. Nam, si primum dicatur, sequitur actum illum, quatenus est transgressio illius praeccepti, & ex vi eius esse peccatum mortale. Probatur, quia illa lex etiam si non imponat excommunicationem ipso facto, sed ferendam, est propriissima lex in materia de se graui, ergo transgressio eius in tali materia erit peccatum mortale, quia & omne praecceptum proprium in materia graui obligat sub mortali, & omnis inobedientia contra praecceptum strictum sumptum, est mortale peccatum. Antecedens patet, quia non est de ratione legis ut imponat censuram, vel poenam aliquam ipso facto incurrendam, ut per se notum est: praeter hoc autem nihil potest excogitari necessarium ad veram, & propriam legem, quod in tali praeccepto non inueniatur. Nam & procedit a potestate sufficiente ad veras leges ferendas: nullus enim potest ferre legem sub illa comminatione, qui non habeat perfectam iurisdictionem fori contentiosi sufficientem ad propriissime praecipendum, & obligandum ex praeccepto. Deinde talis lex semper fertur per verbum proprie praecipientium

11
Caietan.
Caser.

12
Difficultas
circa Cai.
tani sententiam.

Ad
inter
sententiam
Caietan.
Sylvest.

utrum, & promulgatur cum eadem solennitate qua alie leges, quid ergo fingi potest quod ad legis perfectionem illi desit? Si vero altera pars eligatur, scilicet, illam materiam esse adeo leuem, vt lex perfecta & Ecclesiastica in illam cadens non obliget sub mortali, sequitur non sufficere ad excommunicationem ferendam etiam post admonitionem superioris, nam ipsa lex per se ipsam monet, & transgressio eius contumacia quædam est respectu Ecclesiæ, & pastoris ferentis legem: ergo si hoc non obstante ob leuitatem materiæ tota illa transgressio & contumacia leuis est, idem erit interueniente iudicis admonitione. Patet cõsequencia, quia grauitas materiæ adeo necessaria est ad peccatum mortale, vt siue præceptum sit humanum, siue diuinum, non faciat actum esse mortale peccatum absque illa.

²³ Dices eandem materiam, quæ est leuis respectu legis generatim lata, censeri posse grauem respectu præcepti iudicis speciali monitione, & seueritate actum prohibentis: qui, vt iurista dicunt, *mitius agitur cum lege, quam cum homine*. Sed hoc difficile intellectum est: suppono enim ex parte materiæ & actus esse omnimodam identitatem cum eisdem circumstantiis: cum ergo illud idem dicitur leue respectu legis, & graue respectu præcepti hominis. Vt v.g. prohibuit Gregorius XIII. sub pena ferendæ excommunicationis ne clerici agitationi taurorum interessent: si ergo non obstante tali lege illa erat materia leuis, & solum ad veniale peccatū sufficiens, vt quidam eo tempore opinati sunt, cur adiuncta monitione Episcoporum, respectu illius illa eadem erit materia grauis: concurrentibus eisdem circumstantiis, & non maiori scandalo, &c. Quod vero quidam aiunt, quamuis materia sit leuis, factus prohibetur ab homine sub censura excommunicationis & trina monitione præmissa, sufficere ad peccatū mortale inobedientiæ propter contumaciam, & contemptum, falsum sine dubio videtur propter rationem prius factā quod materia grauis est de essentia peccati mortalis absolute & secundum se: quia, si hoc non ita esset, nunquam posset cum fundamēto dici peccatū esse veniale ex leuitate materiæ, nec magis respectu diuini iuris, quam humani, nec respectu legis, potius quam hominis, quia non est minor potestas obligandi in legislatore, quam in homine præcipiente, & supposita potestate non est etiā minor voluntas, nam verba præcepti a quæ illam indicant. Exemplis etiam potest idem manifestari, nā quamuis superior rem leuem sub excommunicatione, & præuia monitione quacunque prohibeat, vt v.g. ne dicam verbum iocosum, aut ne dem assē alteri, & similia, non propterea erit peccatum mortale: quia materia est incapax, & comminatio, vel sententia in illo præcepto inclusa, vel non est vera, sed in verbis tantum ad terrorem, vel cõtinet intolerabilem errorem. Quare, licet illa sit aliqua contumacia, tamen hæc eadem potest esse leuis ex paruitate materiæ: Contemptus autem, si intelligatur esse ipsius legis, vel legislatoris, necessarius non est: vnde, si interueniat, erit per accidens: quare non spectat ad præsentem considerationem: si autem intelligatur esse de excommunicatione, vel eius comminatione sic facta, non erit graue peccatum secluso scandalo: quia talis comminatio iniusta est, vel etiā nullius momenti. Nulla ergo videtur posse assignari ratio, cur, si præceptum sub excommunicatione ferenda ex se versatur circa materiam venialis peccati, post admonitionem iudicis fiat illa transgressio mortalis, & materia capax excommunicationis maioris.

²⁴ Ad hanc difficultatem responderi potest iuxta superius dicta: quod, sicut peccatum veniale interdum ita est proxima occasio scandalum proprii, vel alieni, vt licet per se, & ex sola rei natura non statim fiat peccatum mortale ex illa circumstantia, possit

A ratione illius per ius aut præceptum humanum prohiberi sub culpa graui, & sub excommunicatione maiori ipso facto incurrenda: ita pari modo in præsentem, quamuis in eadem materia lex generatim lata sub censura excommunicationis ferenda non obliget sub mortali, nihilominus adiuncto præcepto hominis hic & nunc idem præcipiens, & monens sub censura cū effectu imponenda, iam illa transgressio & inobedientia fit peccatum mortale. Est enim fere eadem ratio: nam lex diuina, & naturalis per se ac cæteris paribus non minus obligat, quam humana, & nihilominus aliquid præcipit lex humana, quod non præcipit lex naturalis: quia aliqua est materia proportionata legi humanæ quoad talem prohibitionem, quæ non est proportionata legi naturali, vel diuinæ, eo quod lex naturalis, vel diuina abstractior, seu vniuersalior sit: lex autem humana magis descendat ad particularia pro temporum, & circumstantiarum opportunitate. Sic igitur eadem fere proportionem fieri potest, vt licet auctor legis nō minore potestatem, vel auctoritatem habeat, sed maiorem, quam iudex exequens seu admonens in particulari, nihilominus sola lex in tali materia lata sub comminatione excommunicationis non obligat sub mortali, adiuncta vero iudicis admonitione oriatur talis obligatio. Quia etiā lex illa comparata ad actum hominis, est vniuersale quid: præceptū autē hominis magis in particulari determinat obligationem: & ideo potest grauitatem eius quasi cõplere. Accedit præterea, quod, dum admonitio iudicis coniungitur legi, fit quasi duplex vinculum, ex quo nascitur, vt grauior sit contumacia, & iniuria quæ fit superiori prohibenti, non tantum per legem quasi mortuam, sed etiam per ministrum suū, nempe iudicem, qui est veluti viua vox, & quasi anima legis. Vnde in hoc non plus defertur iudici, quam auctori legis, quia non sunt considerandi vt duo, sed vt vnum, id est, vt causa principalis, & instrumentalis. Vnde obiter soluitur obiectio, quæ hic fieri posset, quia admonitio iudicis non est nouum præceptum, sed applicatio quædam, & quasi recordatio obligationis ipsius legis. Primo enim negari potest assumptum. Deinde dicitur, illam eandē legem sic applicatam grauius obligare, quam per se solam: quia auctoritas legislatoris magis illo modo vrget, maiorque iniuria afficitur si illo etiam modo applicata contemnatur.

Hoc ergo modo explicata hæc sententia probabilis est. Nihilominus existimo Corollarium a nobis propositum esse verum simpliciter. Quod vt de claremus, aduertendum est, cum dicimus actum sic prohibitum per legem, esse peccatum mortale ex genere, non esse intelligendum solum formaliter ex genere virtutis obedientiæ, vel alterius, ad quam fortasse spectat actus sic præceptus, vt religionis, vel iustitiæ, &c. nam hoc nec satis est, nec deseruit ad re præsentem explicandam: sed intelligendum esse etiam quasi materialiter, id est, quod talis actus in tali materia prohibita per tale præceptum, & intra illā sistendo, est sufficiens ad peccatum mortale. Dico autem ex genere, quia in illa materia potest esse latitudo, ita vt aliqua non sufficiat, ad mortale, aliqua vero sufficiat, vt in exemplis adductis in obiectio- nibus factis contra tertiam illationem videre licet: & ideo nō diximus omnem transgressionem illius legis esse peccatum mortale, sed esse posse intra latitudinē illius materiæ (hanc enim vim habet illa determinatio, *ex suo genere*). Addimusque vltimus tunc solum transgressionem illam esse aptam ad illam penam, quando completam materiam habuerit, ad peccatum mortale constituendum sufficientem. In quo fere æquiparantur lex sub excommunicatione lata, & ferenda: nam etiam quādo lex imponit ipso iure hanc censuram, habet latitudinem in sua materia, & si transgressio sit in materia minima:

erit

²⁵ Corollarium
propositum
sententia
Caietani
præfertur
et declarat

erit levis, & consequenter non sufficit ut talis censura. Differentia vero esse potest, quia materia prioris legis regulariter loquendo, grauior est, & frequentius in ea mortale peccatum committitur, quam in alia. Quod ita sumendum est ut intelligatur de eo quod exigitur legum differentia, non de eo quod legislatores arbitrantur. Semper autem illud integrum manet in utraque lege, ut sola illa materia, quæ ad peccatum mortale sufficit, ad excommunicationem etiam sufficiat.

26
An admonitio iudicis possit officere ut culpa sit mortalis quæ alias esset venialis.

An vero iudicis admonitio aliquid conferat, vel necessaria esse possit, ut in aliqua materia culpa sit mortalis, quæ alias non esset stante eadem lege, satis dubia res est. Quanquam in hoc ipso duplicem oporteat distinguere questionis sensum; unus est de peccato mortali sufficiente ut iudex exequatur excommunicationem, quam lex comminatur: & in hoc sensu existimo probabilius necessariam esse illam monitionem, saltem ut censura recte feratur iuxta superius dicta de censuris in communi. Alius sensus est de peccato mortali secundum se. Et sic probabilius existimo non esse necessariam iudicis monitionem, ut transgressio talis legis in materia sufficiente peccatum mortale sit: hoc enim satis mihi probant rationes superius adductæ. Imo opinor, ceteris paribus, ac per se loquendo, nihil conferre talem admonitionem, ut in eadem materia sit mortale peccatum transgressio legis, quæ alias esset veniale. Nec video cur hoc magis dicatur in lege quæ prohibet sub comminatione excommunicationis, quam in ea quæ prohibet sub excommunicatione lata sententia: nam si percutiens leuissime clericum, licet aliquo modo violet canonem Si quis suadente, non incurrat illius censuram propter materiæ paritatem: si ergo interueniret superioris admonitio ut etiam illo leui modo nullus percuteret clericum sub eadem censura, nunquid incurreret illam? Non quidem, per se loquendo, quia materia semper est insufficiens. Cur ergo plus operabitur eadem admonitio, ceteris paribus, in alia lege, solum comminatur censuram? Rationes præter ea factæ sunt efficaces; nam illæ circumstantiæ, quæ in responsione considerantur, non sufficiunt ad malitiam mortalem, nisi materia aliqui grauis sit, aut ex nouo sine vel circumstantia grauis fiat. Si autem illa per se est grauis, prohibitio talis legis sufficit ad constituendum actum peccaminosum mortaliter, ut discursus supra facti satis probant.

27
Potest ex accidenti esse peccatum mortale interueniente iudicis monitione, quod sine illa non esset.

Addo tamen ex accidente posse contingere, ut interueniente monitione iudicis, sit peccatum mortale, quod sine illa non esset: quia vel fortasse ante monitionem existimabatur materia levis bona fide, & absque culpa ea quæ post monitionem non poterit cum eadem tuta conscientia talis reputari, quia ubi euidenter non constat oppositum, semper obediendum est superiori, & quo illo præsumendum. Et ad hoc potest conferre quod dicebatur, præceptum hominis applicari magis in particulari, quam præceptum legis. Et ideo recte fieri potest, ut dubium quod relinquit lex circa grauitatem materiæ, hic & nunc tollatur per superioris monitionem, qua vrget legis obligationem sub eiusdem censuræ comminatione. Et hinc etiam fieri potest, ut in singulis actibus, quæ contra legem sunt, aliquando non peccetur mortaliter, & tamen quod accedente monitione iudicis iam incipiat peccari mortaliter per actum similem præcedentibus, & per se se spectatui eiusdem materiæ, & qualitatibus: quia nimirum iudex iam non considerat actus singulos, ad consuetudinem, & contemptum legis inde resultantem: quam fortasse particularis persona non considerabat, vel non tenebatur considerare, ut, verbi gratia, in exemplo supra posito de clerico relaxante comam, vno vel alio die illam relaxare erit veniale, & sæpius id facere, vel per aliquantulum temporis

id protrahere non erit mortale, sed quædam negligentia venialis, aut venialium peccatorum multiplicatio: at vero si accedat iudicis admonitio sub dicta censura, iam erit sufficiens signum materiam illam consummari, & accedere ad grauitatem peccati mortalis, ideoque si duret pertinacia, & continueatur transgressio, erit sufficiens ratio ferendi excommunicationem. Denique idem dicendum erit quoties hic, nunc occurrit specialis causa, seu finis propter quæ specialiter prohibeatur actus, quem sine lex non considerauit: consideratur autem a iudice. Et fieri potest ut ratione illius finis res fiat grauis, quæ per se considerata non erat. Quæcumque autem ratione præceptum iudicis sub ea censura, & rigore hic & tunc impositum iustum sit, & proportionatum fini, consummatio, & pertinacia contra illud grauis erit: atque, ita fiet sufficiens materia censuræ quæ alias non esset etiam stante eadem generali lege, si ad illam iudicis admonitio non accessisset.

Varia dubia circa regulam positam occurrentia enunciantur.

HAtenus explicata est generalis regula proposita, quantum ad vnam partem negatiuam, nunc explicanda est scilicet, non omne peccatum mortale sufficere ad excommunicationem, sed illud quod fit cum inobedientia, & contumacia respectu Ecclesiæ. Vbi multæ incurrantur graues questiones, prima est an monitio præuia sit necessaria ad excommunicationem; & consequenter an peccatum præteritum contra legem diuinam, vel naturalem sit sufficiens materia & causa excommunicationis: rursus an peccatum commissum contra præceptum Ecclesiæ absque vlla censura comminatione, vel impositione sit sufficiens: demum an propter peccatum futurum possit excommunicatio imponi ipso facto incurrenda, sub illa conditione si committatur; idque aut præcepto iuris, aut hominis. Verumtamen hæc omnes questiones late tractatæ sunt supra dispositio. 2. sect. 4. & dispositio. 4. sect. 4. & omnia ibi dicta procedunt omnino eodem modo in excommunicatione, imo in illa maxime, & ideo nihil hic addendum occurrit.

EST enim omnium summa & resolutio, illam monitionem, quæ ad contumaciam contra obedientiam Ecclesiæ sufficit, necessariam esse ad hanc censuram ferendam, ita ut sine illa lata non valeat, ex defectu materiæ necessariæ: maiorem autem monitionem, seu trinam, & canonicam, quauis ex præcepto Ecclesiæ necessaria sit, ut actio recte fiat, non tamen esse simpliciter necessariam ad valorem censuræ: quia ille defectus solum est in accidentalibus solennitate, nisi in aliquibus casibus à iure expressis, qualis est, quando ferenda est excommunicatio maior in eos, qui cum excommunicato communicant. Quo fit, ut propter peccatum pure præteritum, siue sit contra legem naturalem siue positiuam, nunquam possit valide ferri excommunicatio, nisi aliqua, vel hominis, vel legis Ecclesiastica monitio præcedat sub sufficiente propositione, vel comminatione talis censuræ: quia sine hac non interueniet contumacia contra debitam Ecclesiæ obedientiam. Pro peccato autem futuro generatim loquendo non est dubium quin possit ferri excommunicatio, sub conditione, si talis actus committatur in particulari autem seruare debent prælati inferiores Summo Pontifici ea quæ circa hoc iura statuunt quæ dictis locis explicata sunt. Alia quæstio, huc etiam spectabat, an ignorantia inuincibilis vel etiam culpabilis præcepti Ecclesiastici impediatur contumaciam, & consequenter censuram, idque vel in materia alias de se mala, vel in materia indifferenti. Sed hanc etiam rem latissime differuimus citata dispositio. 4. sect. 6. neque hic aliquid speciale occurrit.

Excom-

Excommunicationem ferri posse pro peccato mortali cum inobedientia & contumacia Ecclesie commisso.

Tercio loco explicanda est affirmatiua pars illius regulæ, quæ ex dictis concluditur, scilicet excommunicationem ferri posse pro peccato mortali commisso cum inobedientia, & contumacia Ecclesie. Circa quam partem multa etiam possunt inquiri: primum est qualis debeat esse hæc inobedientia, & contumacia an scilicet requiratur formalis; vel materialis sufficiat: formalis dicitur, quæ est ex contemptu, & directa voluntate transgrediendi præceptum: materialis, quæ est contra præceptum sine illo contemptu ex alia passione peccent. Et ratio est clara, quia etiam alia vitia præter inobedientiam formalem possunt esse digna hac pœna, & postulare hanc medicinam. Sufficit ergo inobedientia materialis contra præceptum Ecclesie: non tamen quæcunque, aut quomodocunque, sed illa quæ sit contra præceptum ita latum, ut includat, vel adiudam habeat admonitionem sub hac censura: nam inde habet maiorem gravitatem, & proportionem ut reddat hominem dignum tali pœna. Et hoc sensu vocatur illa inobedientia specialis contumacia: quamvis non attingat illum singularem gradum malitiæ, qui est in inobedientia formali.

Altera quaestio esse potest, an quodlibet peccatum mortale ex huiusmodi contumacia factum, sit sufficiens materia: quam etiam attingimus dicta disp. 4. sect. 3. Et ideo breviter distinguendum est, aliud esse querere an quodlibet peccatum mortale, tale sit, ut iuste ac recte possit sub hac censura prohiberi, & consequenter ut pro illo, post admonitionem factam, iuste possit excommunicatio ferri, aliud vero esse inquirere, an, si de facto censura hæc feratur pro mortali peccato quocunque, post sufficientem monitionem, illud sufficiat ut incurratur excommunicatio. In priori ergo sensu dicendum est, non quodlibet peccatum mortale sufficere ad hanc censuram ferendam: id enim docent multa iura, & Concilia usque ad Tridentinum, quæ in dicta sectione tertia allegavi. Et ratio est, quia censura hæc est gravissima pœna, & innumera assertincommoda, ut visum est, & magis ad curandum, quam ad vindicandum ordinatur, & sæpe non minus ad bonum aliorum, quàm eius qui excommunicatur. At vero sunt multa peccata mortalia, quæ neque indigent hac medicina, neque habent proportionem cum tam acerba, & periculosa pœna, possuntque alijs modis facilius, & securioribus sufficienter vindicari, quæque alijs non nocent, ut propter bonum illorum, vel corporis sit necessaria unus membri abscissio: ergo imprudenter, & iniuste faciet iudex, qui ob huiusmodi peccatum hanc censuram tulerit.

Nihilominus quoad posteriorem sensum addendum est, quodlibet peccatum mortale ex contumacia Ecclesie factum esse in rigore sufficientem materiam excommunicationis, id est, ut, si lata sit, incurratur. Hanc partem tractavi late dicta disput. 4. sect. 5. Nunc breviter declaratur, quia licet verum sit, teneri iudicem ex officio ad discernendum inter peccata mortalia, ut hanc sententiam ferat: difficiilimum tamen est, ac impossibile generaliter iudicare, quod peccatum mortale ad hoc sufficiat,

A quod vero non: multoque gravius ac periculosius esset hoc iudicium ipsis subditis committere: ergo, cum quodcunque peccatum mortale in se sit satis grave, quoties iudex interponit suum iudicium, & prohibet illud sub hac censura, eius sententiæ standum est: nec potest cum aliquo fundamento talis sententia existimari nulla: ergo habebit effectum in transgressore. Neque in hoc incurrat nova difficultas. Insurgebant tamen statim hic due prædictæ questiones graves de excommunicationibus, quæ ferri solent ex causis temporalibus, ut ad reuelanda crimina, scripturas, vel alia similia secreta; vel ad temporalia bona restituenda. Sed quia spectant ad particulares excommunicationes, ne hoc loco doctrinam generalem confundam, de his quaestionibus specialem disputationem infra instituiam.

SECTIO IV.

Qua forma servanda sit in excommunicatione ferenda.



Iste est veluti ultima causa huius censuræ, de qua in communi multa diximus disputatione tertia. Et exhibitis sumimus, in hac forma aliquid considerari posse ut antecedens excommunicationem, aliquid ut consequens, aliquid vero ut concomitans, seu ut actus existens in ipsa forma. Quod antecedit, est admonitio; quam insinuamus sectione præcedenti, satisque explicuimus citato loco. Quod subsequitur est denunciatio excommunicationis iam latæ, seu incurse, quam late etiam declarauimus dicta disputatione tertia, & ideo de his duobus nihil hic amplius dicam. Quod ergo spectat ad tertium membrum est ritus ipse ferendi excommunicationem. In quo distingui potest aliquid ad substantiam pertinet, & aliquid ad solennitatem accidentalem: & utrumque facile potest ex dictis supra de censura declarari.

Est enim supponendum, quod sæpe dictum est, excommunicationem ferri posse à iure & ab homine. Quando ergo fertur à iure, illa tantum forma requiritur in ea ferenda, quæ in constituenda lege, quæ sufficienter declararet pœnam per eam imponi ipso facto incurrendam. Unde illa solennitas, vel conditio, quæ fuerit de substantia legis, erit etiam de substantia talis formæ ferendi excommunicationem: quæ vero ad valorem legis fuerit accidentaria, similiter etiam erit ad valorem censuræ. Quibus autem verbis sufficienter explicet lex ipsammet per se ipsam censuram efficere, & non tantum imponendam comminari, superiori loco late traditum est, & omnes verborum formulæ explicatæ; quæ omnia ad excommunicationem applicanda sunt. Rursus, quæ verba sufficiant, ut sermo legis intelligatur esse de maiori excommunicatione, constat etiam ex superius dictis, nam siue lex utatur verbo anathematis, siue verbo excommunicationis absolute, intelligitur ferre excommunicationem maiorem, præsertim post capitulum penultimum de sententia excommunicationis, & communem, iamque receptum verborum usum: nam antiquiora iura aliter sæpe interpretanda sunt, ut in superioribus dixi, quod partim ex materia, partim ex alijs iuribus diiudicandum est.

De forma substantiali excommunicationis ab homine.

Quando vero excommunicatio fertur ab homine, ex parte formæ solum est substantiale, quod illis verbis proferatur, quæ satis significant talem censuram vere, & actualiter imponi. Hæc autem

In forma excommunicationis ritus possunt considerari.

Quæ forma requiritur in censura à iure.